





1666, 40

~~700~~
700

19

DISERTATIO JURIDICA
De
SOCIETATE,

Quam
D. T. O. M. A.

PRÆSIDE

DN. GEORG-ADAMO Struven/
uff Uhlstedt/

Jcto & Cod. in Illustri Salanâ Prof. Publ.
celeberrimo, Facultatis suæ Seniore, Consiliario Sa-
xonico, Curiaë Provincialis & Scabinatus Adses-
fore gravissimo, &c.

Dn. Doctore ac Promotore suo æviternum
colendissimo.

Publico eruditorum examini subjicit

JOANNES WOLFGANG Rosensfeld/
Heldburg. Fr.

AUTOR & RESPOND.

Ad d. Augusti,
Horis Locoque consuetis.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISI, MDC LXVI.



SAPIENTISSIMO HEROI:
SERENISSIMO ATQUE CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DN. ERNESTO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
ET BERGIÆ
THURINGIÆ LANDGRAVIO
MARCHIONI MISNIÆ
PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNE-
BERGÆ, COMITI MARCHIÆ ET RAVENSBURGI
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN

PRINCIPI ATQUE DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO
PIO, FELICI, INCLYTO.

Hanc Dissertationem Academicam,
se, sua studia, humilimaq; servitia
D. D. D.

IPSIUS SERENISSIMÆ CELSITUD.
Subjectissimus Servus
JOH. WOLFG. ROSENFELDT.



B. C. D.

DISSERTATIO.

DE

SOCIETATE

Proæmium.



Vanta sit indigentia, quam provida mater natura inter omnes in universum mortales introduxit, ipsa experientia satis superque testatur. Nudi namque nascimur, nihil habentes eorum, quæ ad vitæ nostræ sustentationem facere possint, ut hâc in parte quis, homines brutis animantibus longè deterioris esse conditionis, non immeritò dixerit. Istis enim victum ubivis terra exposuit obvium: amictum natura dedit. Sed quæ ad humanam vitam conservandam faciunt, industriam plerumque & cultum desiderant. Tot enim ac tam multis homo indiget rebus ad vitæ suæ sustentationem, ut impossibile sit eas ab uno vel altero comparari posse. Hinc ipsâ necessitate adacti homines societate colere coguntur, quo mutuas operas invicè locare & quibus quilibet instructus est vitæ instrumentis, invicem communicare queant. Huc spectat locus Aristot. *s. Ethic. Nic. 8. & 4. Eud. 3.* "Οτι δ' ἡ χρεία συνέχει ὡσπερ ἐν τῷ ὄντι δηλοῖ ὅτι ὅταν μὴ ἐν χρεῖα ὡσιν ἀνθρώπων ἢ ἀμφοτέρω, ἢ ἑτέρω σὺ δυνάττονται. Indigentia autem societatem humanam contineri, tanquam uno quodam, quod vinculi instar sit, ex eo perspicui potest, quod ubi aut neuter

A 2

eget



eget re alterius, aut alter eorum non eget, permutatio inter eos contrahi non solet. Dn. D. Eichel. Philos. ac Jctus incomparabilis, Patronus, Hospes quondam, ac Præceptor meus pl. honorandus, ad R. J. c. 2. thes. 3. Quo pertinet etiam illud Libanii, quod refert H. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 2. n. 13. ἔ μὲν τοῖς πάντα γὰρ πᾶσιν ἔνευμε μέρεσιν ἀλλὰ διήρει τὰ δῶρα κατὰ τὰς χώρας εἰς κοινωνίαν τὰς ἀνθρώπους ἄγον τῇ παρ' ἀλλήλων χρείᾳ. Deus non omnia omnibus terra partibus concessit, sed per regiones sua dona distribuit, quo homines alii aliorum indigentes ope societatem colerent. Hæc est prima origo contractuum, ceu mediolorum quibus indigentiam nostram explemus, sine quibus vitam humanam plane consistere non posse rectissime dixit Schneidew. ad Inst. de Oblig Magnif. Dn. D. Richter. Jctus per German. celeberrimus, Patronus atque Promotor meus ætatem colendus, in proæm. disp. de Interpret. contract. Cum autem indigentia nostra per multis modis expleri possit, unde tot ac tam multa nata contractuum genera, quorum natura tam accuratè tradita à Jctis Rom. ut accuratiùs, si pauca quædam excipiamus, ab ipso Aristotele omnium subtilitatum autore, tradi, minimè fuisset sperandum. Quapropter eos, qui hæc in parte Jctos nostros Rom. carpere volunt, haud magnificimus, nec digna judicamus eorum argumenta, ut in iis refutandis tempus perdamus. Potissimum verò inter contractus illos eminent SOCIE-TAS, utpote quæ quæstus gratia excogitata, arg. l. 7. & seq. ff. pro soc. ad utilitatem cum privatorum tum Reip. magnarumque negotiationum exercitium. Wesenb. d. t. n. 8. Cujus naturam per modum dissertationis Acad. h. e. brevissime ex debitis fundamentis tradituri sumus, quod ut ritè fiat, more hæctenus in Academiis recepto & præceptis

ceptis Analyt. convenienti, initium capimus ab ipsa definitione, quæ talis esse potest: Societas est contractus quo plures patresfam. operas ac bona sua conferunt, eum ob finem, ut vel ipsa, vel lucrum inde proveniens saltem, sit commune.

CAPUT I.

De

Personis quæ hunc contractum inire possunt, vel non.

I.

Hisce præmii loco præmissis, primò inquiremus, quænam personæ hunc contractum inire possint vel non. Quod ut fiat, notand. est, hunc contractum fundatum esse in intimâ quâdam amicitia per ea, quæ eleganter tradit Dn. D. Hahn. *Præceptor meus quondã verandus* Not. in *Wes. ad tit. ff. pro soc* Dn D. Eichel. *ad R. 7. c. 10. tb. 50.* Ex quibus patet, hunc contractum inter nullos nisi amicos iniri posse. Et quamvis omnis contractus supponat amicitiam, E. G. contractus Mandati *l. 1. §. 2. Mand.* Depositi, Negot. gest. &c. arctior tamen in nostro contractu, qui καὶ ἐξοχήν Societas vocatur, requiritur: Nam. In quo contractu contrahentes ad unum quasi quendam patrem repræsentand. concurrunt, illum in arctissimâ amicitia fundatum esse oportet, Atqui Societas est talis contractus E. Unde non ineleganter Ulp. in *l. 63. pr. ff. pro socio* hunc contractum jus fraternitatis continere dicit. Qua in re egregiè Jcti Rom. cum jure N. conveniunt.

II. Ex his fundamentis decidenda est quæst. *An Christianus cum Judæo societatis contractum inire possit?* quod nonnulli negant moti haud vulgaribus argumen-

A 3

tis,

tis, quorum potissimum hoc est: Cum quoc. Christianus
salva conscientia amicitiam colere non potest, cum eo
neque contractum hunc inire potest, Atqui cum Judæo
non potest colere amicitiam, &c. argumento eorum quæ
tradit Aristot. 2. *Rhet.* 4. de amicitia, amicorumq; officiis,
& passim 8. & 9. *Eth.* Quorum sententiæ & nos album no-
strum calculum adjiceremus, nisi Praxis obstaret Nam
l. 15 §. 6. ibiq; Bl. ff. de excus. tut. l. 8. & 10. C. de judæis tanti non
facimus, ut contra sententiâ opinionem adstipulemur. Pra-
xis enim meritò rerum Magistra perhibetur *c. quam sit. de*
Elect & elect potest. in 6. Legumq; intellectrix dicitur Bl. in
usib. feud. Tit. de feud. sine culpa. Schwanmann process.
Cam. l. 1. Epist. Dedic. Notand tamen, eam non aliter valere
nisi prius fuerit confirmata ab ordinario Magistratu, cui
Christianus subjectus est, *Rec. Imp. Aug. Aug. Ao. 1551. §.*
Diesen zu begegnen &c.

III. Iisdem fundamentis mihi recumbere videtur,
quod ex 2. *Feud. t. 24. c. 1. §. porro* tradit Menoch. *l. 5. pre-*
sumt. 43 n. 16. Harp. ad pr. Inst. de societ. n. 33. alique plu-
res, vasallum qui inivit societate cum inimicis domini,
amittere feudum. Feudum enim beneficium est: quia ex
merâ benevolentia datur, & ubique in libris feudorum ita
appellatur Dn. D. Richt. *Cons. p. 3. Cons. r. n. 2.* Hinc sine du-
bio vasallus domino debet honorem. Nam: Quic. nos affi-
cit beneficio illi debemq; honorem atq; observantiâ Arist.
1. Rhet. 5. 8. Eth. 10 Dn. D. Eich. Tr. de jure, quo nat. lib. & par.
sibi in v. c. sunt obstr. part post. th. 21. Atqui dominus feudi,
dum illud vasallo concedit, afficit vasallum beneficio E.
Hinc patet ratio eorum quæ tradit Menoch. *d. 1.* Vix enim
sine læsione honoris & amicitia, quam debet vasallus do-
mino, fieri potest, ut cum domini inimicis societatem,
quæ

quæ consistit in arctâ amicitia, colere possit. An autem hoc de omni societate intelligi possit, meritò dubitamus.

IV. Tradunt quoque Dd. non nulli, nec filium posse inire societatem cum inimico patris capitali, aut si contrahat, quod propterea legitimam exheredationis causam incurrat. Argumenta eorum fundata sunt in *l. 28. in fin. C. de inoff. test.* ubi dicitur, matrem quæ cum inimicis filii amicitiam contraxit, ob eam causam exheredari posse Vid. Harp. *d. t. n. 31.* Plerique verò negativam tuentur, his moti fundamentis, (1) quod hæc causa non sit expressa in *Nov. 115. c. 3* (2) quia aliæ honestæ causæ possunt inducere filium, ut sine præiudicio Patris societatem contrahat cum inimico patris, qui etiam causam diffensioni dedisse potuit. Hæc si penitus inspiciamus, fateri cogimur utrorumque rationibus non multum ponderis inesse, & neutram evincere quod evincere debet. Quia verò nullam legem habemus, quâ una harum sententiarum stabiliri possit, meritò inhæremus Dd. autoritatibus, quibus hæc controversia in foro decidenda est: Rationes namque Philosophicæ ibi parum curantur. Pugnant autem pro posteriori sententia plurimi & quidem celebriores Dd. quorum opinioni & nostram quoque adjicimus.

V. Ut verò in universum sciamus, quænam personæ ad hunc contractum ineundum sint inhabiles, dicimus: Quic. consentire non possunt, neque liberam rerum suarum habent administrationem illi, hunc contractum inire nequeunt, Atqui (1) Furiosus & cui bonis interdictum, consentire non possunt: Nam quorum nulla est voluntas, illorum neque consensus esse potest: Con-
sen-

sensus enim nil aliud est quam voluntatis nostræ declaratio Dn D. Eich. *ad R. J. c. 9. tb. 5.* Atqui neq; furiosi, neque ejus cui bonis interdictum, est voluntas *l. 40. de R. J. E.* neque consensus horum esse potest. Accedit, prodigos, non quid. Ethicè; sed juridicè tales, non habere liberam rerum suarum administrationem. Dn. D. Hahn. *ad Wes. de pact. n. 5* (2) neque infantes consentire possunt per eleg. *l. 109. de R. J.* ob ætatis sc. maturitatem & intellectus carentiam, qui ad consensum declarandum requiritur. Dn. D. Struve *Jctus celeberrimus, & æternum Academia nostræ decus, in S. J. C. Exerc. 6. tb. 35.* Hinc universaliter concludimus E. neque furiosus, neque prodigus hunc contractum inire possunt. Duard. *de societ.* Neque infans s. pupillus *l. 33. b.* nisi accedat autoritas tutoris, qui loco hujus consensum declarare potest.

VI. Ex hisce jam facilè constat, quinam hunc contractum inire possint, sc. (1) Frater, *si seorsim habitet & simul negotietur, cum fratre l. 52. §. 8. pro soc. l. 47. §. 6. de admin. & peric. tut. l. 1. C. qui test. fac. poss.* (2) pater cum filio, emancipato sc. aut eo, qui habet peculium castrense, vel quasi *l. 38. §. 1. de condict. indeb. l. 9. pr. de compens.* Extra hos casus societ. non potest contrahere: quicquid enim filius acquirit, non sibi sed patri acquirit *§. 1. Inst. per quas pers. cuique acquir.* (3) Filius *si habeat peculium, cum extraneo l. 65. §. 11. pro soc.* Aliàs nomine patris censetur societatem contraxisse, nisi pater lucro renunciârit. Decian. *Cons. 36. vol. 1. n. 7.* (4) Patronus cum liberto *l. 2. C. b. t.* (5) Maritus cum suâ conjuge Dn. D. Struve. *S. J. C. Exerc. 22. tb. 20.* Hæ personæ omnes, cum consentire possint, & liberam rerum suarum habeant administrationem, possunt hunc contractum inire. Felic. *de societ. c. 3.*

CAP.

CAPUT II.

De

Iis quæ veniunt in hunc contractum. Et
quarum rerum detur societas.

Nunc videamus quidnam veniat in hunc contractum. Veniunt autem in hunc contractum non tam Res quàm Operæ §. 2. *f. de soc. l. 5. §. 1. pro soc. l. 1. C. eod.* Nam: Quicquid ullo modo facere potest ad finem hujus societatis obtinendum, illud quoque venit in eam, Atqui, non tam Res quàm Operæ faciunt ad illius finem obtinend. E. Per operas intelligimus omne id, quod ab homine ullo modo fieri potest, ex quo juvari potest societas si-ve id fiat consilio, s. literis, s. alio quocunque modo fiat. Per res verò intelligimus omne id ex quo honesta utilitas atque lucrum capi potest.

II. Hinc patet, rerum inhonestarum non dari societatem per *l. 57. pro soc.* ex qua ita argumentamur: Ex quibus rebus nullo modo honestum lucrum capere possumus, illarum quoq; non datur societas, Atqui ex monopolio &c. E. Monopolia enim *regulariter h. e. ut plur.* Reip. sunt perniciosæ Herm. Lather. *de Censu l. 3. c. 14. num. 11.* quæ propterea non immeritò inter causas morborum civilium refert Jac. Bornit. *l. 4. de Rep. curand.* Ex quibus ita progredior: Quæcunque negotia pugnant cum salute Reip. ex illis honesta utilitas capi non potest; *Uti nemo saniorum inficias ire potest,* Atqui ex monopolio, *per modò dicta* E. Hinc rectissimè monopolia non tantum per LL. Rom. *l. un. C. de monop.* Sed & publicas Imperii nostri Romano-Germ. LL prohibita sunt. *N. A. de anno 1548. sub tit. die Monopolia und schädliche Vorkauff belangend.*

B

Et



Et omnis quoque societas monopolii ex his causis pronuntiatur nulla. Omnia tamen monopola juri N. contraria & illicita esse, verum non est. H. Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 12. n. 16.* Salus enim Reip. non nunquam exigit, ut monopola exerceat ipsum *πνευμα*, aut horum exercitium aliis permittat Besold. *de Aerar. c. 3. n. 6. Idem & in Pol. l. 2. c. 4.* Et quin hoc in casu societas monopolii instituendi gratia iniri possit, asserere nulli dubitamus.

III. Postquam nunc diximus, quarum rerum non dari possit societas, ordo noster postulat ut recenseamus res illas, quarum dari possit societas: Labet autem talem formare Majorem: Ex quibuscunque rebus honesta utilitas capi potest, illarum quoque in LL. conceditur societas. Hâc positâ, universaliter concludimus E. societas (1) venditionis margaritarum iniri potest *l. 44. pro soc.* (2) pecoris pascendi *l. 52. §. 11. d. t.* Ex qua lege Dn. D. Tabor peculiarem quendam duxit contractum, quem vocavit Socidam, quæ nil aliud est, quàm societas pecoris (3) Politiois i. e. agricolendi *l. 52. §. 4. d. t.* Politio enim significat agriculturam, & polire apud antiquissimos scriptores idem est ac agrum colere, (4) argentariam exercendi *l. 52. §. 1.* (5) Grammaticam docendi *l. 71.* Hæ societates enim nil inferunt contra honestatem aut salutem civitatis, quæ in omni Rep. suprema lex esse debet.

CAPUT III.

De

Variis Societat. speciebus.

Perhibetur à Dd. nostris communiter, Societatem esse in triplici differentia. Aut enim bona nostra ita conferimus, (1) ut omnia ea quæ per se ex rebus vel operis so-

cio-

ciorum acquiruntur communia fiant. Et hæc societatis species quam maximè naturalis est. Unde & si simpliciter sit inita societas quædam, non addito, quarum rerum debeat esse societas, præsumunt LL. nostræ, talem nos inire voluisse societatem *l. 8. ff. pro soc.* Cujus rei elegantissimas, & non tam regulis juris Civ. sed & rectæ rationis principiis convenientes, ex natura præsumtionum dare licet rationes, quas hîc apponere tempus non patitur. Et hæc societas unicè restricta est ad quæstum *l. 7. d. t.* Quæstus autem nomine nobis venit omne id, quod per se ex aliqua negotiatione & operâ alicujus socii acquiritur: Hinc Quicquid absque labore & industria, sed ex accidenti & fortuna potius, uni sociorum obtingit, illud non fit commune *l. 71. §. 2.* Atqui hereditates, legata, fideicommissa, donationes sunt tales res E. non fiunt communes inter socios *l. 9. 10. & 11. b. l. 71. §. 1. b.* Nec æs alienum, eandem ob causam, venit in hanc societ. *d. l. 9. §. 12.* Cujac. *ad l. 1. b.*

II. Aut (2) ob certam quandam negotiationem v. g. vini, frumenti &c. bona nostra conferimus & oritur secunda species societatis, quæ vocatur certæ rei (*nonnunquam enim certam rem saltem volumus esse communem*) s. negotiationis *l. 1. pr. l. 5. pr. b. t. l. 15. de trib. act.* In hac societate ea saltem fiunt communia, quæ ex negotiatione illa vel certâ re, quam voluerunt esse communem, acquisita sunt. Hinc argumentor: Quæcunque non ex negotiatione illa, vel certa re, cujus gratia inita est societas, acquiruntur, sed aliunde, fortuna videlicet nobis obveniunt, inter socios communia non fiunt, Atqui (1) in casu *l. 52. §. 5.* & (2) in casu *l. 52. §. 6.* tale quid accidit E. meritò non communicantur.

B 2

III.

III. Tertia species societatis vocatur omnium bonorum *l. 5. pr. d. t.* In qua omnia bona, omnesque actiones, nullâ interveniente traditione *l. 2. b.* fiunt communes, ad eò ut singuli focii in singulis rebus dominium omniaque jura, dominia rerum concomitantia, pro partibus indivisis consequantur *l. 1. §. 1. b.* Communicantur porrò omnia, quæ non tantum ex negotiatione, cõtractibus, industria ac labore acquisita sunt, sed & quæ alia quacunque ratione, fortuna sc. & accidente nobis obveniunt *l. 3. §. 1. l. 7. 3. pr. b.* It. Quæ quis ex L. Aquiliæ actione acquisivit *l. 52. §. 16. d.* Feudorum quoque fructus communicantur *arg. 2. f. 9. 52. 55.* Dn. D. Struve *S. J. C. Ex. 22. tb. 26.* Quæ tamen ex illicitis causis acquisita sunt non communicantur *d. l. 52. §. 16. b.* Nam quarum rerum acquisitionem prohibent jura, circa eas res, an & quomodo, communes fieri debeant, nihil disponunt: Si enim hoc agerent, delicta approbarent.

IV. Quia vero, in his societatibus omne lucrum dividend. est inter socios, & damnum quoque dividi æquum est. *l. 24. l. 52. §. 4. in fin. l. 55. l. 67. pr. in fin. ff. b.* Secund. natura enim h. e. juri N. conveniens est, incommoda cujusque rei sequi eum debere, quem sequuntur commoda *l. 10. ff. de R. J.* Jam in societate universalis, focii sentiunt omne commodum quod ex quæstu provenit E. & damna quæ ratione & causa negotiationum oriuntur, communia fieri debent *l. 5. §. 1. l. 7. §. seqq. l. 38. §. ult. l. 67. pr. l. 52. §. 16. Felic. de societ. c. 11. n. 10. §. seqq.* Dn. D. Struve *S. J. C. Ex. 22. tb. 28.* Uti autem in societate certæ rei vel negotiationis ea saltem lucra communia fiunt, quæ ex ipsa re proveniunt, ita quoque & damna *l. 52. §. 6.* In societate verò omnium bonorum, omnia damna, quocunque modo passa, fiunt communia:

munia : Ratio hæc est, quia & quæ ex accidente acquiruntur in hanc societatem veniunt. Non tamen ea, quæ quis ob suum delictum patitur *l. 52. §. ult.* Nam nec quæ quis ex delictis suis acquirit, in hanc societatem conferre tenetur. Expensæ quoque omnes communes fiunt, etiam eæ, quæ ad unius dignitatem spectant V. G. quo alter titulum Doctoris consequatur *l. 73. §. 1. b. Harpr. ad Inst. pr. de soc. n. 24.*

V. De his partibus lucri aut damni communicandis, vel nihil nominatim convenit inter socios, vel singulari conventionem sunt expressæ. Et hoc casu standum est illorum conventioni, modo legitimo modo facta sit, de quibus latius agemus *c. 5.* Si autem inter socios nihil actum de partibus lucri quas quilibet sociorum accipere, aut partibus damni quas sustinere debet, tunc adhibenda est proportio Geometrica & secundum hanc facienda est distributio & lucri & damni, ita ut quantum quilibet sociorum contulit rei vel operæ, tantum quoque lucri vel damni sentire debeat. Lucrum enim eatenus distribuitur inter socios, quatenus res vel operas in societatem contulerunt, *quod quilibet concedere cogitur.* Hinc, quo plus rei vel operæ quis contulit ad finem societatis, qui est lucrum, obtinend. eò quoque plus lucri accipere debet. Hoc modo autem facere distributionem rerum communium, est observare proportionem Geometr. per ea quæ tradit Arist. *5. Eth. 8.* quod caput à plerisque Commentatoribus præprimis Latinis s. utivocantur Scholasticis, malè intellectum.

VI. Huic sententiæ favet quoque præter Arist. *8. Eth. ult. 7. Eud. 10.* Vir Incomparabilis Dn. D. Struv. *S. 7. C. Ex. 1. th. 27. & Ex. 22. th. 30.* utpote Matheseos minimè ignarus, cujus cõtra sententientes non tantum, ignorantest prohdolor! sed &

ofores sunt & extitère. Quid enim λόγος, quid αναλογία, proportio, proportionalitas, cognitu profectò, unanimi Mathematicorum consensu, est difficilimum, nec aliunde nisi ex scriptis Mathematicis hauriendum. Non itaque miramur, acutissimum Bachov. hâc in parte, aliquid humani passum esse, qui sepositâ doctrinâ Mathem. in tam spinosissimâ & planè Matethematicâ materia, liberè pro more suo philosophari voluit. Nec obstat quod dicit: Societatem esse contractum, *quod non negamus*: In contractib. verò observari proportioné Arithmet. quod est falsissimû, nec non veritati, doctrinæq; Aristotelicæ gravissimè adversatur Vid. 5. *Eth.* 8. Dn. D. Eichel. *disp. de I. & I. tb. 23* Dn. D. Struv. *S. C. 7. Ex. 1. tb. 26* Nititur itaque argumentum Bachovii falsâ hypothesi, quæ communiter tanquam articulus fidei à plerisque creditur, & originem suam nobis trahere videtur, ex non satis intellectis iis, quæ de speciebus justitiæ particularis tradit Aristot. cum plerique ejus Commentatores duas saltem species ponant, Aristoteles verò reverà tres statuat, quâ de re jam alibi dixi, & latius differendi aliquando dabitur occasio.

CAPUT IV.

De

Officiis Sociorum, eorumque potestate.

Officia sociorum quod attinet, sciendum est, ea vel descendere ex natura societatis, vel ex pactis societatis contractui adjectis. Omnis namque in universum contractus duplici regitur jure, quòd contrahentes observare debent, Naturali scil. quod ex natura contractus deducitur, & Legitimo, quod ex libera voluntate paciscentium &

& LL. siue pacta sibi unicem præscribentium, de pender.
Ex natura contractus descendit hoc, quod in suis operis
sine dolo versari, & in rebus administrandis debitam di-
ligentiam adhibere debeant. l. 52. §. 2. Quid enim gravius
amicitiæ, in quâ, & quidem atctissimâ, fundatus est no-
ster contractus, adversari potest, quam dolus? Quod au-
tem talem diligentiam adhibere debeant, causa hæc est.
Quia bona cum in finem collata sunt, ut junctâ operâ,
quod sine summa diligentia fieri nequit, lucri causa ope-
rentur. Hinc etiam ratio patet, cur diligentia cum
negligentia compensari nequeat: V. G. Titius socius in
Belgiores communes diligentissimè administravit, & ma-
jorem adhibuit diligentiam quàm fortean erat necesse:
E contra verò valde negligenter res suas gessit Venetiis;
si socius alter, ob omissam diligentiam agat, non potest
se tueri compensatione per l. 26. ff. pro soc. Si enim diligens
fuit, fecit quod debuit: si negligens, non fecit quod facere
debuit. E. quoque hoc in casu compensationi non potest
esse locus. Secus si ambo suâ negligentia damnum intu-
lerint societati.

II. Culpam quoque teneri præstare ex LL. nostris
& Dd. satis constat: qualem verò, an latam saltem aut le-
vem, an vero etiam levissimam inter Dd. maximè con-
trovertitur, & obscurè etiam ex LL. colligere licet. Tra-
ditur quidem in l. 72. b. quam culpam socius socio præ-
stare teneatur; sed uti quibusdam videtur, malè: Nam in
l. 32. ff. de pos. dicitur, dolo hoc annumerandum esse nisi
quis rebus amici eam adhibeat diligentiam, qualem suis
adhibet: Hoc in loco autem id ipsum vocatur culpa, cu-
jus rei rationem reddere non possumus. Sentiunt & dis-
sentiunt hæc de re Dd. variè ut quorum sententiæ nos
sub.

subscribere debeamus, fermè ignoremus. Quid nostra mens hâc de re sit, addere non lubet interim quærenti in ipsâ palæstrâ eam aperiemus. Hoc autem omnium Dd. consensu certum est, socium præter levem culpam ad nullam aliam, levissimam scilicet, teneri Harpr. *ad Inst.* §. 9. & *ult. de societ. n. 5.* Dn. Carpz. 2. c. 26. *defin. 12.* Ratio hæc est: In quocunque negotio commutativo h. e. contractu, utriusque contrahentis æqualis est utilitas, in eo ab utroque æqualia præstantur (1) dolus (2) culpa levis s. mediocris diligentia, qualem negotii natura requirit. Hæc Major defumta est ex *l. 5. §. 2. ff. commodati & inductione omnium contractuum* verissima est. Dn. D. Eich. *ad R. J. c. 10. tb. 37.* Hinc indubitato subsumimus Atqui Societas est tale negotium, quod ob utriusque contrahentis utilitatem initur E.

III. Casus autem fortuitus, uti à nullo contrahentium in quolibet contractu *l. 23. de R. J.* ita nec in contractu societatis præstat, licet res quæ periit, æstimata datur Dn. D. Struv. *S. J. C. Ex. 22. tb. 24.* Nam quodcunque ita est comparatum, ut nostram potestatem excedat, & quod adhibitâ omni operâ, neque providere aut evitare possumus, ad illud faciendum, vel omitend. vel præcavendum nullus hominum adstringi potest. Atqui infortunium s. ut J Cti Rom. loquuntur, casus fortuitus est tale quid, uti colligere licet ex *l. 6. C. de pign. act. l. 2. ff. de admin. rer. ad civ. pertine. l. 18. pr. ff. commod. Arist. 1. Rhet. 13.* qui eadem planè cum J Cti Rom. tradit, notante Dn. D. Struv. *S. J. C. Ex. 19. tb. 13. E.* ad casum fortuitum præstand. nemo tenetur. Hinc ratio pendet *l. 52. §. 3. In incendium enim, quod quis vitare non potuit, refertur ad casus fortuitos l. 11. ff. de peric. & commod. rei vend. Fur-*
tum

rum quoque aliàs inter Casus fortuitos referri solet *l. 30. pr. ff. ad L. Falcid.* Ast in casu *d. l. 52. §. 3.* quia unus sociorum negligentia sua, causa extitit furti, pro infortunio non habetur; Infortunium enim illud vocavimus quod adhibita diligentia etiam, evitare non possumus: Ast hoc furtum evitari potuisset à socio, modò debitam diligentiam adhibuisset. Hinc socius ille meritò damnum illud solus ferre tenetur.

IV. Potestatem sociorum quod attinet, quam habent in res communes, sciendum est, illam longè minorem esse eà, quam quilibet paterf. habet in bonis suis, seu dominio suo subjectis. Quilibet enim paterf. potest pro suo arbitrio, res suas, vel earum usum in alios transferre, quod socio in rebus communibus non licet. Singuli enim facti sunt domini rerum comunium. Hinc: Per quodcunq; vel ipsæ res, vel earum usus in alterum transfertur, aut planè commercio hominum eximitur, ad illud requiritur utriusque socii consensus, Atqui per illationem mortui in fundum communem, fundus planè eximitur commercio hominum: Fit enim religiosus *§. 9. Inst. de rerum div. E.* ad hoc utriusque socii consensus requiritur *d. §. 9.*

CAPUT V.

De

Pactis privatorum, quæ societati adji- cere solent.

OMnibus in universum negotiis, quæ circa indigentiam nostram explendam versantur, quales diximus esse Contractus, Romani prudentissimo consilio concesserunt privatis potestatem, illis certas quasdam adjicere

C leges

leges, quas propterea privatas vocat Arist. 1. *Rhet. ult.* Dn. D. Struve *S. J. C. Ex. 23. tb. 29.* in jure Rom. verò pacta adjecta, informantia contractus; Quæ cum non infrequenter nostro quoque contractui adjiciantur, necesse est ut pauca quædam de iis dicamus, quo sciamus quænam valida, quæ invalida sint: Non omnia enim valida esse, experientia testatur. Hoc ut sciamus, conducit pauca quædam de natura pactorum in genere præmittere. Ubi ante omnia notand. Pacta ex se & sua natura nullam producere obligationem Dn. D. Eichel. *de R. J. c. 2. tb. 6.* Omnis namque obligatio supponit superiorem: Contractantes autem æquales sunt, nec unus in alterum aliquid habet potestatis. Hinc ut privatorum pacta vim LL. consequantur, & per conseq. obligationem pariant, debent esse confirmata ab eo, qui in Rep. LL. ferendarum habet potestatem: Qualem tempore Reip. Rom. liberæ habebat Prætor. Unde *l. 7. § 7. ff. de pact.* Ut enim omnia pacta specialiter confirmaret, nimis molestum fuisset. Hinc ut compendium laborum faceret, universaliter edixit, se ratum habiturum, omnia illa pacta, quæ non pugnant cum honestate & LL. publicis, &c.

II. Deinde quoque notandum Romanos non temerè, sed ex singulari prudentia, quam sibi per longissimam experientiam, administrando tam celebrem, & per universum terrarum orbem notissimam Remp. compararunt, concessisse privatis hanc potestatem, ut contractibus suis, pro liberrimâ voluntate, adjicere possint pacta. Vid. Dn. D. Eich. *ad R. J. c. 2. tb. 3. & 4.* Causa enim, ut me paucis expediam, fuit non tam publica, quam privatorum utilitas; Nam, circa indigentiam, quomodo illa sit explenda, certum jus constitui non potest à Majestate,
pro-



propter indigentia mutabilitatem, & tamen nisi jus quod-
dam in contractibus observetur, Resp. salva esse non pot-
est. Hinc satis prudenter non tantum, sed & ipsa necessi-
tate Romani adacti fuere, ut ipsis privatis hanc potesta-
tem liberam contrahendi concesserint. Unde si privati ta-
lia invicem pacta condant, quae ad ipsorum perniciem po-
tius, quam utilitatem, cuius causa tamen iis unice haec
potestas concessa est, vergant inutilia fiunt, nec vim le-
gum consequuntur: LL. enim spectare debent ad com-
munem omnium utilitatem. Cic. de LL. lib. 3. Svarez. de LL.
l. i. c. 7. Dom. Soto l. i. de l. § I. q. 1. a. 2.

III. Quae igitur pacta contractu societatis adjecta
valida sint vel non, ex his sufficienter constare potest. Sci-
licet in universum: Quaecunque pacta non sunt contra
honestatem, LL. publicas quales in Rep. R. erant. SCta,
Plebiscita, Edicta Praetoris, Constitutiones Principum,
quibus nos qui vivimus sub Imperio Romano-Germanico ad-
dimus, Recessus Imperii, Auream Bullam, Transactionem
Osnab. & Monast. & in qualibet civitate aut provincia sta-
tuta: nec cum propria salute contrahentium pugnant, illa
omnia sunt valida. Hinc subsumere licet E. valet pa-
ctum (1) de non alienando l. 17. pr. (2) ut aequalia confe-
rentes inaequalia accipiant l. 19. pr. Harp. ad §. 2. & 3. Inst.
de societ. (3) ut alter pecuniam alter operam conferat l. 1.
C. b. (4) si convenient de filiabus è communi dotandis.
Haec omnia enim cum neutro in Majore nostra recen-
sitorum pugnant.

IV. E. contra: Quaecunque pacta cum uno in Ma-
jore nostro recensitorum pugnant, illa sunt invalida.
Hinc (1) pactum de non abeundo à societate non valet
l. 14. b. (2) nec pactum de non dividenda re communi in-

C 2 tra

tra certum tempus *d. l.* Pugnans enim hæc pacta cum utilitate privatorum: Illa autem vim LL non consequuntur, & per consequens nullam obligationem producere possunt. (3) Pactum de non faciendo testamento, quoque non valet *l. 52. §. 2. b.* Est enim regula juris Romani: Quicq. impedit liberam testandi facultatem, illud est injustum, Atqui hoc pactum impedit eam, &c. E. Quodc. pactum autem est injustum illi, vim LL. Prætor addere non potest, & per consequens est invalidum. Notand. autem hanc regulam sine dubio traxisse originem ex statu Reip. R. Democratico. Hi namque mores esse solent Democraticorum, ut si non omne ipsis pro lubitu facere liceat, statim aliquid libertatis sibi ademptum esse, existiment. Unde rationem reddere licet, cur LL. illæ de facultate testandi latæ, tam crebrò sint mutatæ in Rep. Romana: quia sc. forma ejusdem non semper mansit eadem: sed mox in hanc, mox in illam fuit transformata. Non omnibus autem formis Rerum publ. conducere liberam illam facultatem faciendi testamenta, probet Aristot. *5. Pol. 8. Dn. D. Conring. Vir admirandæ eruditionis Præcept. meus pl. honor. præfat. ad Tac. de M. G.*

V. Porrò (4) hoc pactum ut unus sociorum omne lucrum, alter verò omne damnum sentiat, est invalidum *l. 29. §. 2. b.* Pugnans enim cum natura societatis, quæ non nisi inter amicos inicitur: Ubi autem unus omne lucrum, alter verò nihil, sed damnum potius percipit, illi amici esse non possunt, cum unus, reverà servi loco habeatur: Servorum enim est, quicquid operantur, operari alterius gratia Arist. *1. Pol. 5.* Hinc non immerito hæc societas à JCtis vocatur leonina. Harp. *ad §. 1. Inst. de societ.* Eadem sentit nobiscum H. Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 12. n. 24.* *Ut autem quis, inquit, damnum sentiat sine lucro, ideò admit-*
ten-

tendum non est; quia ita naturalis est societati utilitatum
communio, ut sine ea nequeat societas subsistere.

VI. Invalidū quoq; est (5) pactū de non dotandis filiabꝫ.
Hujus instituti ut rationem reddamus, iterum recurren-
dum nobis erit ad historiam Romanam. Fuit Resp. Rom.
omni tempore, gravissimis bellis implicata, & septingentos
per annos, utor verbis Flori, tantum operum pace belloque
gessit, ut si quis magnitudinem Imperii cum annis conferat,
atatem ultra putet. Ita latè ubique per orbem terrarum ar-
ma circumtulit, ut qui res ejus legunt, non unius populi: sed
generis humani facta dicant. Ex quibus colligere licet, ipsis
magnâ hominum multitudine opus fuisse, quæ commo-
dius obtineri non poterat, quàm per frequentia matrimo-
nia, ad quæ ineunda tamen Romani posterioribus tem-
poribꝫ præ primis, non admodū fuere proclives. Quâ de re
olim habuit egregiam orationem, potissimū ad homines
Equestris ordinis, Mecœnas familiaris Augusti, quam ele-
ganter exscripsit Dio Cassius, in qua ostendit, quanto cum
damno Reip. cives Rom. abhorreant à matrimonio.
Hinc Legislatores Rom. varia excogitârunt instituta,
quæ cives, qui proniores erant ad cœlibatum, ad matri-
monia ineunda allicerent. Voluerunt inter alia, ut qui-
libet paterf. filiæ suæ, certam quandam daret pecuniæ
summam, quam ad ferre possit marito, ad sustinenda one-
ra matrimonii, uti dicitur l. 76. ff. de jure dot. Quod insti-
tutum etiam Rom. benè cessit: Juvenes enim non tam
amore erga virgines, quod & hodie adhuc fieri experien-
tia satis testatur, quàm erga pecuniam, societatem con-
jugalem frequenter colere cœpère. Unde insignis favor
dotium ortus in jure nostro Rom. Hinc rectè dicitur in
l. 2. ff. de jure dot. Reip. interesse mulieres esse dotatas.

C 3 Ubi



Ibi simul ratio patet cur hoc pactum sit invalidum, sc. Quodcunque pactum pugnat cum salute Reip. illud est invalidum, Atqui hoc, ne filia dotentur ex re communi est tale E.

CAPUT VI. Quomodo solvatur societas.

I.

Restat num ut dicamus, quomodo & quot modis solvatur societas. Cujus quinque modos ponit Harpr. ad §. 4. *Inst. de societ.* quos tamen nos commodè ad tres modos reducere possumus. Nam quot sunt substantialia, ex quibus societas constat, tot quoque sunt modi societatem solvendi: Si enim unum substantiale deest, societas statim solvitur, Atqui tria sunt substantialia societatis (1) Res. (2) Personæ. (3) Consensus E.

II. Ratione rerum solvitur societas & quidem particularis (1) finito negotio §. 6. *Inst. de soc. l. 65. §. 10. b. Dn. D. Struv. S. J. C. Ex. 22. th. 40.* Cujus rei rationem, cum sit maximè naturalis, addere non lubet. (2) si res illa intereat, quod multis modis fieri potest, in cujus communiōe societas consistit *l. 58. pr. b.* Ubi tamen probè notand. requiri nonnunquam ut res omnes intereant, quo societas omnis finiatur. Interdum requiri ab uno collatam interire, quod quando procedat ex casu *l. 58. b. ad discendum est.*

III. Ratione personarum finitur (1) Morte unius socii *l. 65. §. 11. l. 60. pr. infn. l. 62. §. ult. ff. b.* Etiam jure Naturæ, secus ac Grotius existimat *de I. B. & P. l. 2. c. 16. n. 12.* Fundatus namque est hic contractus in arctissimâ amicitia: Amicitiam autem, quam coluit cum aliquo
de-

defuncto, continuare nequit omnis heres; quia ea in iden-
ditate morum consistit, quos eodem habere cum defuncto
heres quilibet non potest. Præterea: Quodc. negotium ge-
rimus intuitu alicujus certæ personæ, cujus fides, diligentia
& solertia nobis est perspecta, illud ad heredes non trans-
mittitur, Atqui societas est tale negotium, per §. 5. *Inst. de
societ. E.* Exceptio tamen est in societate vectigalium, ubi
rationem quandam Politicam subesse putamus, ne scil.
dissolutâ societate Respubl. cui vectigal debetur, damnum
sentiat. Arumæus *Exerc. Just. 15. th. 4.* Bronchorst. *ἐναρ-
χοφαιών. assert. 84.* Salus enim publica præponde-
rat privatæ. Aliàs regulariter omnis societas, mor-
te unius socii finitur Harp. *ad §. 5. Inst. de soc. n. 15.* Etiam-
si hæc de re inter socios conventum sit. *l. 35. ff. de pact.* Et
ita in Praxi observari testatur Responsum, quod dederunt
Dn. Scabini Lipsienses M. Jan. An. 1639. P. P. **Dahero ist
die Frage enstehet: Ob ihr / als eures Ehmans Er-
ben verbunden solche Gesellschaft mit den ausländi-
schen Helleborn zu continuiren, oder aber eine Son-
derung zu suchen befugt? Ob nun wohl bey geschlosse-
ner Gesellschaft beyderseits contrahenten uff ihre Er-
ben ein Absehen gehabt / auch sonst ein ieder Erbe dem
jenigen / wessen Vorfahr geschlossen / nach zu kommen
schuldig. Die weil aber dennoch niemand in com-
munionem zu verbleiben gezwungen werden mag.
Wielweniger die Rechte eine Gesellschaft auff die Er-
ben / auch durch ein sonderbare Vergleichung ziehen
lassen / und also solch pactum so der Natur der Gesell-
schaft zuwider / die Erben nicht verbindet. So send
ihr und eure Mit. Erben / angeregte Gesellschaft durch
einen tüchtigen Diener zu continuiren nicht verbun-
den /**

den/sondern zu einer Sonderung zu provociren wohl
befugt/ V. R. W.

IV. Quamvis autem morte unius socii tollatur so-
cietas ; ea tamen quæ per defunctum socium inchoata
sunt , per heredem ejus perfici debent. *l. 40. b. Dn. D.*
Carpz. p. 2. Const. 37. def. 28. n. 4. In heredem quoque so-
cii pro socio actio competit , ut scil. lucrum post socii
mortem ex negotiatione redundans cum herede ejus
communicetur *l. 65. §. 2. & 10. ff. b. l. 3. C. eod.* ibique Joh.
Brunnem. Præterea heres defuncti socii bonam fidem
præstat *l. 32. in fin. ff. b.* eamque culpam quam ipse defun-
ctus præstare debuisset, licet heres socius non sit *l. 36. b.*

V. Morti nat. æqui patatur maxima vel media ca-
pitis deminutio , ideoque si harum unam patiatur socius
finitur quoque societas *l. 65. §. 9. b.* Per hanc enim desi-
nimus esse patresf. Versamur autem in contractibus ut
patresfam. Si itaque desinimus esse tales, perit nostra quasi
substantia, & ita morientibus similes habemur. Hinc
simul quoque ratio patet, cur minima capitis deminutio
societatem non solvat, *l. 65. §. 11. b.* Nam : Per quodcun-
que non reddimur tales, qui in contractibus versari non
possunt, illud quoque societatem solvere nequit , Atqui
per minimam capitis deminutionem &c. E. Licet enim
quis cœperit esse filiusfam. non tamen per hoc desit esse
is, qui in contractibus versari potest : Nam & filii se aliis,
& alios sibi obligare possunt. Solvitur (3) si unus socio-
rum alteri inferat injuriam *l. 14. b.* Fundata namque est
societas in amicitia, ut sæpius diximus : Quic quid itaque
solvit amicitiam, solvit quoque societatem, Atqui injuria
solvit amicitiam, per ea quæ elegantissimè tradit Aristot.
*2. Rhet. 4. de officiis amicorum, & 8. & 9. Eth. Nic. de natu-
ra amicitia, passim. E.*

VI. Por-

VI. Porro solvitur (4) quando unus sociorum in eum redigitur statum, ut nil amplius ad finem societatis conferre possit. Et hoc in omnibus societatibus etiam naturalibus procedit. Hinc si unius socii bona publicentur, finitur societas *l. 60. §. ult. l. 65. b.* quod tamen de distractione omnium bonorum Dd. intellectum volunt Giphani. *ad §. 7. Inst. de soc.* ibique Rittershus. *n. 4.* Nam cujus bona publicantur, nil amplius habet, quod ad finem societatis, qui est lucrum, obtinendum facere possit. Harpr. *ad Inst. §. 5. de soc. n. 27.* Ex eadem ratione solvitur (5) si quis coactus fuerit cedere bonis *§. 8. Inst. de soc. l. 63. §. ult.* Et (6) si quis inciderit in egestatem *l. 4. §. 1. b.* An verò decoctio **wenn einer Banderott spielet** solvat societatem, ingens inter Dd. controversia est. Decoctione solvi existimat Treutl. *disp. 27. tb. 11.* quem tamen refutat Bachov. *in not. ad eund.* Meier, *in Colleg. Argent. ad tit. ff. pro soc.* Nos distingvimus.

VII. Diximus *tb. 1.* hujus cap. Societatem finiri tribus modis: de duobus diximus, restat ut tertium quoque consideremus. Ubi ante omnia notand. contractum societatis, licet utriusque contrahentium consensu perfici debeat, rescindi tamen & revocari posse, unius socii voluntate. *§. 4. Inst. de soc.* ibique Harpr. *n. 2.* & Dn. D. Philippi *in Usu Pract. Inst. Jur.* Quod aliàs contra naturam omnium contractum *l. 5. C. de O. & A.* Ratio nobis videtur hæc esse: Quodc. negotium parere solet ingentes lites atque controversias, illud servare nemo præter suam voluntatem, cogendus est: Potissimum enim fulcrum societatis Civ. consistit in concordia & amicitia civili Arist. *8. Eth 1.* Hæc verò labefactaretur si homines inviti in communione vivere cogèrentur. Hinc subsumo, Atqui com-

D munio

munitio bonorum parit lites *l. 77. §. 20. de legat. 2. Arist. 2. Pol. 2. E.* Videmus itaque hoc non esse merum Romanorum placitum, sed hanc legem, uti nec ullam fermè, haud carere rationibus, etiam Politicis, quod latius persequi, aliquando, Deo dante, dubitur occasio.

VIII. Nec interest, renunciatio illa an fiat expressè, vel tacitè, *l. 64. b.* Pro tacitâ renuntiatione habetur, si socii separatim agere cœperint, & unus quisque eorum sibi negotietur. Harpr. *ad §. 4. Inst. de societ.* Circa expressam renuntiationem notand. aut eam facere præsentem præsentem, aut absentem. Si præsens absentem renunciat, tunc omne damnum, quod ex societate oritur, à tempore renuntiationis factæ, renunciens ferre tenetur pro ratâ: lucrum verò omne absens socius percipit. *l. 17. §. 1. l. 65. §. 3. & 4.* Ubi tamen observatio adjicienda ex *d. l. 65. §. 6.* hoc ipsum tunc quam maximè procedere, si dolo renunciatum sit, quod quando fieri censeatur, ibidem exemplo declaratur. Si præsens præsentem renunciat, statim finitur societas, modò non fiat intempestivè. Si enim ipsum negotium cujus gratia societas fuit inita, non possit feliciter expediri, nisi in societate permaneat, tunc renuntiatione non valet: at si aliàs prodesset socio uni vel alteri tantùm, si non rennnciaret, renuntiationi nihil obstabit *d. l. 65. §. 5.* Nec refert, an renuntiatione fiat ipsi socio, an ejus procuratori *d. l. §. 8.* Per hanc autem renuntiationem non statim renunciens liberatur, sed tunc si & principalis consenserit.

CAPUT VII.

De

Actione pro socio.

Ultimo loco, necesse est, ut dicamus de actione ex hoc
con-

contractu descendente, quæ in LL. nostris, nec non Dd. communiter, vocatur Actio pro socio. Nascuntur autem ex hoc contractu, non duæ actiones, ut in ceteris contractibus, directa scil. & Contraria, sed una tantum Directa nimirum, quæ sociis ab utrâque parte datur §. 2. *Inst. de pœn. temerè litig.* Nam in quocunque contractu alter alteri æque principaliter obligatur, nec unus alteri magis vel minus, ex illo non duæ actiones, sed una saltem Directa nim. nascitur, Atqui in cōtractu societatis &c. E. dicitur porrò hæc actio à Dd. communiter Civilis & quidem bonæ fidei. Curverò sit b. f. non stricti juris, rationem reddere oppidò difficile est. Pleriq; recurrunt ad §. 29. *Inst. de act. &* dicunt: Quæc. actio continetur in §. 29. illa est b. f. quæ non in illo continetur est stricti juris. An verò hæc ratio sufficiens sit, cuiuslibet saniori perpendendum relinquo. Nos dicimus: Quæc. actio oritur ex contractu b. f. illa est quoque b. f. Hæc propositio universaliter procedit, uti eleg. docuit Dn D. Eich. *in colleg. priv. ad H. Grot.* Hinc subsumo, Atqui contractus societatis est b. f. Habet enim certum quoddam jus N. quod ipsum dirigat E. & actio ex contractu societatis descendens erit bonæ fidei.

II. Quibus autem hæc actio competat, universaliter ita determinamus: Quic. occasione societatis aliquid damni perpeffi sunt, quod nondum venit in communionem, illi hac actione experiri possunt in iudicio. Jam varios casus imò infinitos, penè subsumere licet, quorum unum vel alterum, ad meliorem intellectum Majoris nostræ addemus. Atqui (1) si unus sociorum ad merces comparandas ad peregrina loca profectus, incidat in latrones pecuniam perdat, omniumque rerum jacturam faciat, hic damnum patitur occasione societatis E. huic competit

D 2 actio

actio pro socio adversus alterum, si non pro ratâ agnosce-
re velit damnum. (2) qui restitit communibus servis ad
fugam erum pentibus, à quibus vulneratus, & hic passus
est damnum occasione societatis E. omnes impensas quas
Medico dedit pro se curando, ab altero socio hac actione
pro parte repetere potest, uti rectè vult Ulp. *l. 62. b.*
Quamvis contrarium asserat Labeo, in *l. 60. b.*

III. Adversus quem detur hæc actio, facile colligi
potest ex iis quæ *cap. 4. de officiis sociorum* diximus: In
universum: Quic. socius aliquid committit contra offi-
cium suum, quod ipsi vel ex naturâ contractus, vel ex pa-
ctis & conventionibus, huic contractui adjectis, imposi-
tum est, ille hac actione conveniri potest. Atqui (1) is qui
pecuniam communem, sub custodia sua habet, & reliquis
sociis pecuniam illam repetere volentibus, non vult resti-
tuere, is agit contra officium suum, quod ipsi vi societatis
incumbit E. hac actione conveniri potest. Id quod vult
l. 65. §. 14. b. (2) si unus sociorum in fundum communem
inferat mortuum, is agit contra officium suum & plus sibi
arrogat potestatis quàm sibi debetur E. hic socius ab alte-
ro actione pro socio potest conveniri. Pompon. in *l. 39. ff. b.*
Reliquos casus brevitatis ergo & instituti nostri me-
mor, omitto.

IV. Conveniri etiam possunt hac actione non tan-
tùm ipsi socii sed eorum heredes etiam, *l. 35. b.* sive succes-
serint ab intestato sive ex testamêto. Heres enim nil aliud
est quàm successor patris. in familia & omnibus ejus bo-
nis *arg. §. 7. Inst. de hered. qual. & diff. l. 59. ff. de R. 7. Dn.*
D. Eich. ad d. l. c. 7. tb. 6. & 7. Hinc: Quicquid egit pa-
ter. quâ talis ad omnia illa vel præstanda vel perficienda,
tenetur quoque heres, Atqui Contractus sunt talia nego-
tia

ria quæ defunctus cum in vivis esset, gessit tanquam pater-
fam. Dn. D. Eich. *d. l. th. 29. E.* ad omnia ea quæ ex con-
tractibus oriuntur tenetur quoque heres. His positus por-
rò argumentor: Quæc. actio oritur ex contractu, illa
quoque transit in heredem, non tam activè quam passivè,
Atqui actio pro socio oritur ex contractu E. quoque tran-
sit in heredem. Unde non immeritò statuerunt Rom. &
quidem ipso juri Nat. convenienter, ut teneatur heres so-
cii non tantùm de culpa *l. 36. b.* sed & dolo defuncti, si for-
te quem commisit *argum. l. 152. §. 3. & l. 157. §. 2. ff. de R. J.*
l. 49. ff. de O. & A.

V. Quando hac actione experiri possit socius, bre-
viter ita dicimus: Quocunque tempore unus sociorum
passus est damnum, ex illo tempore statim ipsi hæc actio
competit: At fieri potest, ut finita societate non tantum
quis passus sit damnum, sed & durante. Hinc non tantum
finitâ societate, ut scil. rationes reddatur, lucrum commu-
nicetur *l. 65. pr. b.* Hec. Felic. *de soc. c. 15. n. 10.* sed & duran-
te societate. Dn. D. Struv. *Ex. 22. th. 38.* hæc actio institui
potest. Regulariter tamen hæc actio locum habet finitâ
societate. Oldendorp. *class. 4. act. 21. n. 11.*

VI. De reis qui hæc actione conveniuntur, notan-
dum est, illis competere beneficium Competentiæ *l. 63. pr.*
b. ubi eleganter Ulp. addit. *hoc enim, inquit, summam ra-*
tionem habet: cum societas jus quodammodo fraternitatis in
se habeat. h. e. in arctissimâ amicitia fundata sit. Hoc
beneficio quilibet socius, etiam si totorum bonorum socius
non fuerit, gaudet, modò illo sese indignum non reddide-
rit, quod duobus modis fieri posse, leges nostræ tradunt (1)
si dolo molo desierit possidere, quod quando fiat, elegan-
ter tradit Gai. *l. 68. b.* (2) si negaverit se esse socium *l. 67. §.*
ult. b. Ratio harum LL. est evidentissima. Est autem hoc

D 3 bene,

beneficium personale. Datur enim intuitu alicujus certæ personæ. Hinc fidejussoribus hoc beneficium non competit *l. 63. §. 1. b.* Defensor autem socii hoc beneficio uti potest. *d. l.* Ratio diversitatis hæc est: quia fidejussor magis proprium suum negotium: Defensor verò socii gerere videtur. Tenetur verò socius, qui hoc beneficio utitur, cautionem præstare de satisfaciendo, si ad meliorem pervenerit fortunam; quæ tamen fit nuda promissione *d. l. 63. §. 4. b.*

VII. Constat quoque ex LL. nostris, socium hoc judicio condemnatum infamem fieri. *§. 2. Inst. de pœn. tem. litig.* Et *l. 1. ff. de his qui not. infam.* Prætor ait. *Qui pro socio, tutela, mandati, depositi, suo nomine, non contrario judicio damnatus erit, infamia notatur.* Nec sine ratione: Cui-cunque enim inhæret vitium, quo alteri nocuit, ille merito habetur pro infami: Infamia enim nil aliud est, quam præsumptio s. opinio de vitio alicui inhærente, quo hominibus vel nocuit vel nocere potest, uti me quondam docuit Dn. D. Eich. *in prælect. ad. ff.* Hinc subsumo: Atqui qui hoc judicio condemnatus est, est talis cui inhæret vitium &c. E. Eleganter hæc illustrent quæ Cicero *Orat. 2. pro Sex. Rosc. Amer.* tradit. *In rebus minoribus socium fallere turpissimum est, æqueq; turpe atq; illud, de quo ante dixi. Neq; injuria: propterea quod auxilium sibi se putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit. Ad cujus fidem igitur confugiet, cum per ejus fidem leditur, cui se commiserit? Atqui ea sunt animadvertenda peccata maxime, quæ difficilimè præcaventur recti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant, necesse est. Socium verò cavere qui etiã possumus? quem si metuimus jus officii ladamus. Rectè igitur majores eum qui socium fefellisset in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.* Hujus rei egregium quoq; fundamentum ex *Arist. 8. Eth. 9.* petere licet. IIX.

IIX. Tandem, & quidem coronidis loco notabimus, quæ Dd. & LL. nostræ de concursu hujus actionis cum reliquis, tradunt. Ubi notanda est elegantissima Regula de concursu actionum, quam tradit Dn. D. Struve *S.I.C. Ex. 46. tb. 96.* Concurrente actione merè pœnali cum rei persecutoria, neutra alteram tollit, sed utraq; quis rectè experitur, *Ratio*, quia tendunt ad diversa. Syllogismus, majoris evidentia gratia, talis esse potest: Quæc. actiones tendunt ad diversos fines, illæ concurrere possunt, nec se invicem mutuò destruunt: Atqui pœnalis & rei persecutoria tendunt ad diversos fines. Tendit enim pœnalis ad emendationem vitii, Rei persecutoria ad correctionem inæqualitatis, ut scil. rem nostrâ, quæ nobis sine causa nostra ex familia abest, & ab alio detinetur, vindicemus. Dn. D. Struv. *d.l.tb. 69.* Hinc hæ actiones concurrere possunt. *l. 7. §. 1 ff. de condiç. furt. l. 54. §. 3 de furt.* Nam quæc. actio est merè pœnalis, illa cum rei persecutoria concurrere potest, Atqui actio furti est merè pœnalis § *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.* actio pro socio verò est rei persecutoria *E. l. 45. b. Oldend. clas 4. act. 21.* Hoc tamen sciendum, non facilè fieri ut hæ duæ actiones, furti nim. & pro socio concurrere possint: Cum non facilè in re communi furtum fieri possit. *l. 51. b.*

IX. Hinc sese ratio nobis ultrò offert (1) cur actio pro socio, cum actione L. Aquilia cumulari nequeat. Actio enim L. Aquilia non est merè pœnalis; sed mixta § *9 Inst. de act. ibique Ludvv. in comment. Bachov. disp. 5. de act. tb. 21.* Hinc si hæ actiones concurrunt, consumitur una per alteram *l. 47. §. 1. Legi meretur hîc Dn. D. Struv. d.l.tb. 99.* ubi regulam quandam tradit, quando actio mixta rei persecutoriam tollat, vel non. (2) Cur actio pro socio, cum actione communi dividendo non concurrat. Sunt enim hæ actiones ambo rei persecutoria & ex unâ eademque causa competentes: Tales autem actiones non concurrere posse, eleganter ostendit Dn. D. Struv. *d.l.tb. 93.* Unde *l. 38. §. 1. l. 45. b.* ubi dicitur actionem pro socio, tollere actionem communi dividendo: Sed hanc non posse tollere illam. Ex quibus textibus inter alia & hoc addiscimus, plus esse in actione pro socio, quam in actione communi dividendo. Hisce filum abrumpimus, Te B. L. amicè rogantes, quo nimia nostræ brevitati ignoscere velis, quod si feceris, mox exquisitius fortassè à nobis elaborata, exhibebimus.

IIAPEP-

ΠΑΡΕΡΓΑ.

- I. *Jus Publ. Germ. non est ex Corpore Juris Civ. addiscendum.*
- II. *Corpus Juris Civ. non laborat LL. multitudine.*
- III. *Non imprudenter jus Rom. à Statibus Imperii est receptum.*
- IV. *Status Imperii constituunt invicem, non Civitatem, sed Imperium.*
- V. *Modus gubernandi Civitatem, à modo gubernandi imperium, est planè diversus.*

NOSCITUR EX SOCIO SOCIUS; Sociumque laboris
pertæsum assumens imputet ipse sibi.

§ ult. Inst.
de Societ.

ASTRÆAM quare SOCIAM dum deligis Author
Astrææ studiis præmia digna capis.

HÆC igitur SOCIA Cathedram dum scandis Amice,
clamabunt omnes. NOSCITUR EX SOCIA!

Honoris & benevol. c. f.

CHRISTOPH. PHILIP. Richter D.

Com. P. C. Prof. P. & Collegii Jurid.

Ordinarius.

Est Astræa Tibi speciali fœdere juncta,
Hinc confers operam sedulitate Tuâ.
Æquum percipies lucrum & condigna brabea:
Ac vitæ sociam junget amica Venus!

Ita vovet Eximio Dn. Respondenti,
Amico suo, eruditæ dissertationis
de Societate Autori

GEORGIUS ADAMUS Struve D.

F I N I S.

Jena, Diss., 1666 S-2


ULB Halle 3
004 371 291




f
56.

Krit.







1666, 40

~~700~~
19

DISERTATIO JURIDICA
De
SOCIETATE,

Quam
D. T. O. M. A.
PRÆSIDE

DN. GEORG-ADAMO Struben/
uff Uhlstedt/

Jcto & Cod. in Illustri Salanâ Prof. Publ.
celeberrimo, Facultatis suæ Seniore, Consiliario Sa-
xonico, Curia Provincialis & Scabinatus Adfes-
fore gravissimo, &c.

Dn. Doctore ac Promotore suo æviternum
colendissimo.

Publico eruditorum examini subjicit

JOANNES WOLFGANG Rosenfeld/
in Heldburg. Fr.

AUTOR & RESPOND.

Ad d. Augusti,
Horis Locoque consvetis.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISI, MDC LXVI.

